

92  
descisceret ab Evangelio, dum retentus est in carcere. Sed tandem, quia innocentia eius omnibus nota erat, dimissus rediit ad Scholam, ubi magna sedulitate non solum docentes audiuit, sed etiam alijs ipse doctrinam Ecclesiasticam tradidit. Demde praefectus Ecclesijs fideliter eas gubernavit, & acerrime defendit doctrinae puritatem aduersus omnes fanaticas opiniones. Hoc ei testimonium eruditionis & pietatis bona conscientia impertimus, ac libenter eum retinuissimus, si apud nos mansisset. Sed quia uocatus ad docendum Evangelium, pie sensu etiam alijs Ecclesijs seruendum esse, non sumus aduersati optimae eius uoluntati. Quid enim optabilius est, quam ut Deus tales ministros plures ad Evangelij messem uocet ac excitet. Cum autem inspecto Ecclesiarum in Marchia uobis mandata sit, dedimus ei has literas ad uos ueteri Ecclesiarum exemplo, ut doctrinam eius & mores nobis probari sciretis. Hortamur autem & uos & alios, qui Euangelium filij Dei amant, ut hunc hospitem propter aetatem, eruditionem, pietatem, & Euangelij professionem uenerandum, amanter excipiatis & adiuuetis. Speramus Ecclesijs Christi labores eius profuturos esse.